

ratis; & procedit à Filio tanquam Patris Unigenito: Ut una & eadem relatione sive notione Filius & Pater spirent Spiritum Sanctum.

30. Qvi negarunt, Credentibus dari ipsum Spiritum S. dicentes, tantum dona ejus dari illustribus testimoniis refutantur. Gal. IV. 6. Rom. VIII. 11. V. 5. Joel. II. 28, 29. 1. Joh. IV. 13. 1. Petr. IV. 14. Act. VII 51. &c.

31. Lombardus notatur eo, quod scripserit; Charitatem nostram esse ipsum Spiritum S.

32. Osiander dixit, Obedientiam nostram esse essentialem justitiam DEL.

33. Qvi negarunt, Spiritum S. esse adorandum, negarunt eum esse Deum.

34. Eleganter Basilius: *Baptizari nos oportet, sicut accepimus; credere autem, sicut baptizamur; glorificare autem sicut credimus, Patrem, Filium & Spiritum S.*

35. Operationes Spiritus S. spectantur tum communiter in Creatione & Conservatione totius Universi; tum sigillatim in Ecclesia, nempe in toto cœtu, per Ministerium verbi & Sacramentorum, & in singulis membris, tum quoad animam, scilicet intellectum & voluntatem, tum quoad corpus. Quorum beneficiorum distinctio videtur apud Chemn.

36. Mysterium Trinitatis ex ratione plus destruitur, quam adstruitur, Joh. I. 18. Matth. XVI. 17. \*

37. Qualis est ordo Personarum talis est ordo operum creationis, redemptionis & sanctificationis, quatenus tribus Personis appropriari solent. \*

## DISP. VI.

### *De Unionem Hypostaticam Duarum in Christo naturarum & Communem Idiomatum.*

1. Unio Hypostatica est veræ & perfectæ humanitatis ex substantia Virginis Mariæ Matris in ipsam personam Filii Dei assumptio, ut sit una persona composita, vere Deus, & vere homo absque naturarum confusione.

2. Hypostasis igitur τῆς λέξης facta est carni hypostasis, quæ inde dicitur ενωμένη, hoc est, in persona Filii Dei non in seipsa subsistens.

3. Atque hæc forma est, sive specifica differentia Unionis hypostaticæ per quam est id quod est, & ab omnibus aliis unionibus distinguitur, nempe assumi in personam, sive unitatem Personæ, sive uniri uno eodemque hypostameno.

4. Qua.